

# CLASSICS PART IA, LATIN LANGUAGE

## MICHAELMAS TERM, WEEK 7

### 1. Translate:

*Atreus, angry with his brother, Thyestes, for stealing his wife and throne, has reclaimed royal power. He invites his brother for a 'conciliatory' dinner, serving up Thyestes' children as the main course.*

ATREVS: aequalis astris gradior et cunctos super  
altum superbo uertice attingens polum.  
nunc decora regni teneo, nunc solium patris.  
dimitto superos; summa uotorum attingi.  
bene est, abunde est, iam sat est etiam mihi.  
sed cur satis sit? pergam et impleto patre  
funere suorum. ne quid obstaret pudor,  
dies recessit: perge dum caelum uacat.  
utinam quidem tenere fugientes deos  
possem, et coactos trahere, ut ultricem dapem  
omnes uiderent! quod sat est, uideat pater.  
etiam die nolente discutiam tibi  
tenebras, miseriae sub quibus latitant tuae.  
nimis diu conuiuia securo iaces  
hilarique uultu; iam satis mensis datum est  
satisque Baccho; sobrio tanta ad mala  
opus est Thyeste. turba famularis, fores  
templi relaxa, festa patefiat domus.  
libet uidere, capita natorum intuens,  
quos det colores, uerba quae primus dolor  
effundat aut ut spiritu expulso stupens  
corpus rigescat. fructus hic operis mei est.  
miserum uidere nolo, sed dum fit miser.

(Seneca)

## 2. Prepare:

*Sybaris, in love with Lydia, forgets how to be a man – and a Roman.*

Lydia, dic, per omnis  
te deos oro, Sybarin cur properes amando  
perdere, cur apricum  
oderit Campum, patiens pulueris atque solis,  
cur neque militaris  
inter aequalis equitet, Gallica nec lupatis  
temperet ora frenis.  
cur timet flauum Tiberim tangere? cur oliuum  
sanguine uiperino  
cautius uitat neque iam liuida gestat armis  
bracchia, saepe disco  
saepe trans finem iaculo nobilis expedito?  
quid latet, ut marinae  
filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troia  
funera, ne uirilis  
cultus in caedem et Lycias proriperet cateruas?

**(Horace)**